


ANN. XVII - FASC. VII


MENSE IULIO MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI
PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editio
tione portata facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea
facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Iulio MCMXXX

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De nominibus substantivis eleganter convertendis.

Latine nomina substantiva convertuntur aut necessitatis causa aut propter elocutionem expressam, nimirum:

- 1º ut elocutio fiat perspicua, quum scilicet substantivum proprium deficit;
- 2º ut elocutio fiat expressa, quum scilicet usurpantur verba quae rebus ipsis melius respondeant.

Triplex autem fieri potest substantivorum conversio: 1º aut in alterum substantivum, 2º aut in aliam orationis partem, 3º aut in integrum sententiam.

§ I. — De Substantivis quae eleganter in alia substantiva migrant.

Latini libenter substantivum genericum loco substantivi specifici usurpant, dummodo id fiat sine perspicuitatis detimento;² v. g.:

— Est quaedam certa vox (= pronun-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Hinc substantiva res et genus saepe locum tenent substantivi, cuius notio superius expressa sit; et generativum: cuiuscumque substantivi, cuius sensus ex contextu, pateat; v. g.: Minime mirum si ista res (= historia) adhuc nostra lingua illustrata non est Cic., *De orat.*, II, 18, 55. — Quumque huic rei (= di-

tatio) Romani generis urbisque propria (Cic.).

— Testium *dicta* (= testimonia) recita (Cic.).

— Hortensius *clamores* (= plausus) faciebat adolescens (Cic.).

— Quum *venenum* (= cicutam) ut sitiens obduxisset (Cic., *Tusc.*, I, 40, 96).

— In *avaritia* (= venalitate) nobilitatis spem habere (Sall., *Iug.*, 13, 5).

— *Numerus* (= quantitas) frumenti (Caes.).

Interdum usurpant:

1º substantivum specificum pro generico, v. g.:

— Tua salus (= vita) agitur.

— Libidinose omni *imperio* (= respectu) et acerbe et avare decemviri populo praefuerunt (Cic.).

— *Severitas* (= gravitas) orationis.

vinationi) magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisse (Cic., *De div.*, I, 9, 5). — Quibus pro tantis rebus (= beneficiis) (Cic., *Cat.*, III, 11, 26). — In hoc toto genere (= causa) hac una defensione usurus es (Cic., *De Signis*, IV, 8). — Reliqui disseruerunt de generibus (= formis) et de rationibus civitatum (Cic.). — Peritiores *rei* (= artis) militaris (Cato., *De bel. civ.*, III, 61, 3).

Praeterea nomen substantivum saepe redditur substantivo «res» cum adiectivo aut participio v. g. In *re familiari* (= patrimonio) (Cic., *Ad Attic.*, IV, 1, 3). — Mihi videor iam de omnibus rebus eius gestis (= facinoribus) dixisse (Cic., *De Suppl.*, X, 25).

2º substantivum qualitatis pro substantivo actionis; v. g.:

— Huius ipsius facti stultitiam maior iam superior *stultitia* (= actus stultitiae) defendit (Cic., *Pro Rab. Post.*, 9, 24).

— Eius nulla *fraus* (= actus fraudis), nulla *perfidia* (= actus perfidiae), nulla *crudelitas* (= actus crudelitatis) proferuntur (Cic., *Pro Mur.*, 6, 14).

Pro substantivo abstracto, Latini concreto libenter utuntur:

1º Ad aetatis gradum efferendum; v. g.:

— Ego non eadem volo *senex* (= in senectute), quae *puer* (= in pueritia) volui (Sen.).

— Philosophiae multum *adolescens* (= in adolescentia) temporis tribui (Cic.).

2º Ad tempus designandum per nomina munera aut dignitatum aut etiam per alia concreta,¹ v. g.:

— Nihil, *Caninio consule*, mali factum est (Cic., *Ep.*, VII, 30, 1).

— Itaque, *isto praetore*, venit Syracusas (Cic., *De Sign.*, 27, 61).

— *Vobis adolescentibus*, Diogenem et academicum Carneadem video ad senatum missos esse legatos (Cic.).

3º Ad actionem denotandam per nomen agentis, fere in ablativo absoluto; v. g.:

— *Eo deprecatore* (Caes., *De Bel. Gal.*, I, 9, 2).

— *Te auctore* (Cic., *Fam.*, XV, 4, § 6).

— *Pompeio duce* (Cic., *Pro Leg. Manil.*, XII, 34).

— Sub *duce* Tiberio Caesare (Vel. Pat., II, 106).

Praeterea, substantiva concreta in plurali² substantivis abstractis in singulari

quandoque substituunt. Haec autem concreta possunt esse:

1º aut personarum, praesertim¹

a) quum artes, ut solent, substantivis non artium, sed artificum designant; v. g.:

— Totos se alii ad *poetas* (= poësim), alii ad *geometras* (= geometriam), alii ad *musicos* (= musicen) contulerunt (Cic., *De orat.*, III, 15, 58).

— *Rhetorum* (= rhetorices) praecepta,

b) quum regiones et urbes substantivis populorum et incolarum exprimunt; v. g.:

— Pelopidas legatus in *Persas* est profectus (Corn. Nep., 16).

— Qui tam prope moenia *Rheginorum* videret (Cic., *De Suppl.*, LXI, 160).

— Ciceronem Matiscone in Aeduis ad Ararim collocat (Caes.).

— Herculis templum est *apud Agrigentinos* (= Agrigenti) (Cic., *De Sign.*, XLIII, 94).

2º aut rerum quae concreta possunt esse adiectiva et participia substantive posita; v. g.:

— *Hinc venena* (= veneficum) (Cic., *De Off.*, III, 8, 36).

— Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris *numeros* (= arith-

(= regiam potestatem) (LIV., XLIV, 24, 2). — *Res necessaria* (= necessitas).

Usurpat numerus pluralis si reapse exprimitur complexus rerum; singularis, si exprimitur notio generalis; v. g. *Vera* (= veritatem) nuntiare. — *Verum* (= veritatem) fateri. Concretum personae in genitivo saepe locum tenet substantivi abstracti post verbum « sum »; v. g. *Sapientis* est. — *Infirmitas puerorum* est, ferocia *iuvenum*, gravitas iam constantis aetatis (Cic.). — *Esset hominis et astuti et ingrati* (Cic., *Pro Mur.*, 8). — Dicitur quoque: « *Stultum est ... Humanum est*. »

1 Dicimus « *praesertim* ». Nam non solum artes, regiones et urbes concretis personarum designant. Dicunt enim, v. g. Fremitus *indignantium* (= indignationis) (LIV.). — Omitto levitatem *temere assentientium* (= temerarii assensus) (Cic.). — Clamores *iratorum* (= irae), etc.

meticen) ac *caelestia* (= astronomiam) accepert (Cic., *De Fin.*, V, 29, 87).

— Non tu quidem tota re, sed *temporibus* (= « chronologia ») errasti (Cic., *Phil.*, II, 23).

— Opinionibus vulgi rapimur, nec *vera* (= veritatem) cernimus (Cic., *De Seg.*, 2, 17, 43).

— *Cogitata* (= cogitationem) proloqui non possum (Cic.).¹

Pro substantivis concretis abstracta eleganter usurpantur:

1º ad designanda alicuius collectionis individua, per nomen huius collectionis; v. g.:

— *Omnis iuventus* (= omnes iuvenes), omnes etiam gravioris aetatis eo convernant (Caes., *De bell. Gal.*, III, 16, 2).

— Iugurtha temporibus tunc primum superbiae *nobilitatis* (= nobilium) obviam itum est (Sall.).

— Huic ad urbem venienti tota obviam *civitas* (= cives) processerat (Cic., *Pro Sest.*).

2º ad designandos, per nomen qualitatis aut status, eos qui hac qualitate sunt praediti; aut in hoc statu degunt; v. g.:

Innocentiam (= innocentem) poena liberare (Cic., *De orat.*, 146, 202).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

¹ Haec concreta exprimi possunt:

1) substantivo « res » cum adiectivo aut participio, v. g.: vivite fortes fortiaque *adversis* opponite *pectora rebus* (= adversitatis) (Hor.).

2) simplici pronome: v. g.: *Haec* (= hunc mentis statum) cum animadvertisset (Caes., *De Bel. Gal.*, I, 40).

SOCIS MONITUM.

Ut iam diu assuevimus, fasciculi mens. Augusti et Septembbris in unum colligentur, qui primis Septembbris mensis diebus prodibit.

DE EUCHARISTIAE CULTU

APUD VETERES CHRISTIANOS¹

Ad eucharisticum apud veteres christianos cultum proprius accendentibus, notandum in primis est, nullam haberi ad rem nudam aperteque expressam repraesentationem in primaeva arte christiana; cuius rei causa multiplex esse potuit, sed praincipia ipsa sacramenti natura et sanctitas, nempe corporis Christi manducatio. Etenim, iam inde ab Ecclesiae primordiis non quilibet poterat sacris adstare; sed uni illi qui iniciati essent sapientia christiana imbuti. Vera enim sacrificii dominici declaratio durus iam sermo apostolis evaserat, Pharisaeis autem scandalum; quum autem Bithyniae gubernator Plinius de Christianorum inquisivit cultu, haec potuit rescire: « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae vel erroris, quod essent soliti, statu die, ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse sursumque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium ».² Abercius et Pectorius de eucharistia quidem loquuntur, sed ita ut a fidelibus solummodo intelligi possent: *Haec qui intelligit quique eadem sentit ore pro Abercio.*

Sed iam antea S. Iustinus arcani legem circa eucharistiam supponit, quum ait: « Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit, sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui

¹ Cfr. fasc. sup.

² PLIN. IUN., Epist. X, 96.

sanguine suo Deum tibi propitium fecit, et reconciliavit te Patri, non haeres in sanguine carnis; sed disce potius sanguinem Verbi Dei, et audi ipsum tibi dicentem quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. *Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei.* Non ergo immo- remur in his quae *scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt.*¹ Item: « Suscepti ergo sumus a Christo, et mun- data est domus nostra a peccatis prioribus et ornata est ornamento sacramentorum fidelium, *quae norunt qui initiati sunt.*² De lege silentii Tertullianus etiam loqui- tur;³ denique ad eam confirmandam Celsi sufficeret accusatio, qui arcanam Christianorum doctrinam δόγμα χριστίου appellavit; atque illud quod Origenes, Celsi accusa- tionem repellens, quaedam fateatur dogma arcana quidem esse: « Sed hoc Christiani — ait — cum philosophis commune habent». ⁴

Antiquissima omnium legis huius indi- cia iam apud Διδαχὴν τῶν δόθεκα ἀποστόλων a Bryennio episcopo Constantinopoli editam, I. B. De Rossi invenit, quam quidem le- gem ex illis progenitam Christi verbis esse affirmat: *Nolite dare sanctum canibus.*⁵

Quae quidem scripta satis demonstrant iam inde a saeculi secundi initio, quam- dam Christianis fuisse eucharistici sacri- ficii occultandi curam, illudque quum oportet sub specie convivii dissimulandi. Atqui id mirum in modum priscis com- probatur picturis, quae semper et ubique symbolum, nunquam vero apertam eucha- ristiae repraesentationem praeseferunt.

¹ S. IUSTINUS, *in Leviticum*, hom. 9, n. 10; P. G., XII, 523.

² Idem *in Exodus*, hom. 8, n. 4; P. G., XII, 356.

³ TERTULLIANUS, *Apol.*, VII.

⁴ ORIGENES, *Contra Celsum.*, lib. I, n. 7; P. G., XI, 667 sq.

⁵ MATTH., VII, 6.

Quibus positis, ad singulas symbolorum series veniamus.

**

Omnium huiusmodi symbola antiquis- sima, duo pisces cum speciebus eucha- risticis in cryptis Lucinae, apud coemet- rum Callisti, iuxta De Rossi sententiam, apparuere; iuxta vero Wilpert, illa eiusdem aetatis sunt atque pictura quaedam ab ipso inventa in coemeterio Priscillae (prima saeculi secundi parte), quam *Fractio panis* appellavit.

Antequam de catacumbarum picturis Wilpertinum opus in lucem ederetur, nulla harum figurarum fideliter repetita imago habebatur. Omnes itaque De Rossi senten- tiam sequebantur, pisces super dorso eucha- risticas species deferre marisque summis in undis naturae. Sed Wilpertina fidelis- sima picturae adumbratio aperte demon- stravit pisces in viridi quadam area iuxta canistra panibus repleta iacere. Id vero observatione maxime dignum, in media utraque sporta vas esse vitreum, liquorem rubrum, id est vinum, continens. Quum autem panes in altero calatho quinque, in altero vero sex, erroris forsitan causa, cer- nantur, pictura, ut rite asserit Wilpert, panum et piscium multiplicationem sapit, ac nullo modo potest ei textus S. Hieronymi accommodari de Exuperio, Tolosatum epi- scopo, qui pauperibus vasa sacra distri- buerat, nempe: « Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo et san- guinem portat in vitro ». ¹ Haec enim S. Hieronymi verba, praeter quam de episcopo et minime de pisce loquantur, tardioris sunt aetatis quam ut possint ad picturam secundi saeculi ineuntis interpre- tandam adhiberi.²

S. S.

¹ HIERON., Ep., CXXV; P. L., XXII, col. 108.

² Cfr. WILPERT, *Pitture*, text. pag. 263-266.

HECTOR BERLIOZ

Quisnam Henrici Berlioz musica opera non audivit eorumque concentuum suavissimum magisterium non est admiratus? Atque tamen nemo, aut pauci certe, sciunt quomodo ille ad hanc artem se dederit, quem alteram viam, et adversam profecto, esset ingressus. Pater enim eius, quum' medicinam multa cum laude exer- ceret, imo et medicinae scripta non semel edidisset, filium sue artis et clientelae heredem relinquere vehementer cupiebat. Verum nec pictis anatomiae tabulis dono datis nec omnis generis pollicitationibus flectere adolescentis ingenium poterat, qui, licet, paterna reverentia motus, submisse in proposita studia incumberet, in eo tamen semper erat, ut, arrepta occasione, medicalia omnia e fenestra deiice- ret, et sese totum musarum blanditiis traderet.

Hisce igitur consiliis, quae secum abdita mente revolvebat, Hector, iuvenis admou- dum, Lutetias petiit, ut medicinae studiis operam daret; at quum forte itineris socius consobrinus eius fuisset, qui barbito eximie ludebat, nova animi proposita commota aliquantulum ipsa in via sensit.

Attamen scholas et nosocomia adiit, Dubouchet et Vidal medicis deinde cele- berrimis familiaritate maxima est usus, et Gay Lussac de electrica vi, Thenard de chimices disciplina, Amussat de ana- tomia dicentes, stoica virtute, ut ipse est fassus, audivit. Sed postremi huius lectio- nes quamquam non sine delectatione ali- qua accepit, non tamen sese corripi illis Aesculapii illecebris passus est.

Pene enim horrebat eius animus, quum divinae musicae ac suavissimae dulcedini misera omnia compararet quae se medicum manebant, nosocomii aulas gemitu et fletu resonantes, animam agentium angores, cadaverum et effusi sanguinis adspectum.

Et profecto, quum primitus ad anato- miae officinam deductus est, tot corporum sapienti clade eo est deterritus, ut per hiantem proxime fenestram prosiluerit, et anxo cursu domum recta petierit, quasi mortem ipsam et infernā eius cohortem post terga insequentem haberet.

Quum vero bis et ter, officio coactus, ad aulam cadaverum rediisset, licet ma- xima cum animi repulsione, incepérat tamen ab horrore paullatim convalescere, et forte in totum convaluisse, nisi inopi- natus superveniens eventus medica Hecto- ris fata omnino subvertisset.

Prodigium Calliope et Melpomene ope- ratae sunt per Salerii itali auctoris con- centus, cuius ad melodrama, a Danai- dum fabula dictum, exaudiendum Hector se contulerat. Quum enim, post ultimam musices mensuram, tentoria pro scena ceciderunt, de medicina Hectoris actum est, nec athenaei nec nosocomii aulae unquam illum deinde reviserunt; atque ex memori illa die, una in deliciis eius fuerunt Gluckii manuscripta ceteraque musices opera, quae bibliotheca Lutetiae musicalis académiae asservabat.

Verum, etsi medicinae scholam, quam per duos annos adierat, saepissime dese- ruisse, disciplinarum quibus a puero operam dederat reliquiae plurimae sem- per eius animo defixa permanserunt, prouti ex eius scriptis colligere licet. Neque mirum; quod de Berlioz a medio in musicum immutato, pariter de Rous- seau a musico in philosophum dicendum est; ita plane ut omnes evinci debeant, artis illius quam forte quivis in iuventute exercuerit, vestigia quaedam animo sem- per haerentia inveniri.

**

Arbore deicta, ligna quivis colligit.
Beneficium accipere, libertatem est vendere.
Camelus, cupiens cornua, aures perdidit.

PUBLIUS SYRIUS.

MINIMAE VOCES

Tibi, dilectissime HERMANNE WELLER.

HORTUS.

*Non semper lyrics contendere scribere versus,
non tua delibans oscula, Musa, peto.
Qui nimium trahitur pertensus rumpitur arcus,
viribus atque labor non moderatus obest.
Seposita cithara dulces suspendere cantus,
cum mens fracta iacet, divus Apollo iubet.
Iam satis esse puto fidibus lusisse. Ligonom,
quae prius apta lyrae, corripit ecce manus.
Me nunc, compositis numeris, nunc excipit
hortus,
redit ubi menti robur amica quies.
Hic mihi mixta placent viridi vaccinia buxo,
proxima vel violis lilia cana nigris.
Picti purpureo hyacinthi sanguine fulgent,
floribus in mediis et rosa verna sedet.
Vos quoque narcissi tenues miscetis odores,
cordibus in vestris vividus ardor inest.
Mollia pallentes hederae per gramina serpunt
et foliis patulis arbor opacat humum.
Cum solis radiis furiosis aestuat aer,
et deserta silent rura silentque viae,
frondibus obtentis vites umbracula praebent,
hic ubi de niveo pumice lympha scatet.
Dulcia subclusis oculis hic somnia fingo,
at grave scripta super saepe reclino caput.*

GREGES.

*Fontibus erumpunt tenui cum murmure lym-
phae,
albida dum riguo margine spuma riget.
Hae prius aeriis errabant montibus agnæ,
cum furor intorto gurgite mersit eas.
Mirum! lanigerae niveas mutantur in undas,
et mare fluctisonum morte premente petunt.
Roscida nunc lambunt viridantis gramina ri-
pae,
aures flebilibus pelliciuntque modis:*

*Silvae frondigerae lacubus cernuntur in
limis,
excipitur vitro lucida gemma sinu.
Hic spelaea latent, nympharum regna: susur-
rans
hic est unde brevi rivulus amne scatet.
At vada vix penetrat radioso lumine Phoebus,
nobis blanditias pastor et arva negat.
Nos aurora iugis quaerentes pabula vident,
ad tepidum moriens duxit ovile dies.
O sol! o taciti roseo sub vespere colles!
o pax! umbrosa valle petita quies!
Mollia nunc frustra refugae virgulta tuemur;
frustra, quam cupimus, graminis herba vi-
[ret.
Nos procul aspicunt pendentes rupe capellae;
nos, pede dum repetunt florea prata, vocant.
Dicunt: O comites, pingues ascendite clivos!
At nos: Iam fuimus; nunc vaga spuma
[sumus!]»
Arretii.*

VINCENTIUS POLYDORI.

DE INITIIS ET DE PROGRESSU REI CATHOLICÆ
INTER GENTES IAPONIAE

Joseph Reiners, Apostolicus praefectus Nagojae, quae urbs in septentrionali parte Iaponiae est, quum nuper colligendae sti-
pis causa in Germaniam venisset, libellum edidit de missione Iaponiae, quem dignum ratus cognitione plurium, Latinis verbis comprehendendum duxi, non ita, ut pro verbis verba redderem, sed ut meis verbis illius exprimerem sententias.

Religio catholica anno 1549, assumptae Deiparae die, inferri Iaponiae coepit: nam eo die Franciscus Xaverius cum duobus eiusdem ordinis viris et cum tribus Iaponibus, qui Goae baptizati fuerant Sinica scapha Kagoshimam pervenit. Duos annos et tres menses Franciscus mansit in

Iaponia; sed sementis evangelica adeo el-
floruit, ut ipse novos Christianos Iaponiae suas delicias vocaret. Triginta tribus annis ducenta millia incolarum Christo adducti et ducenta quinquaginta oratoria aedificata sunt.

Praeerat imperio tum temporis, quem illi Micadonem nominant, cui arcánum domicilium erat in urbe Kyotone. Iapones Solis deae propaginem finxerant; divinum dicebant terrae regem. Sed quo tempore Missionarii venerunt in Iaponiam, multi illi reguli, «qui daimones» appellantur, sui facti iuris inter se bella movebant. Illo igitur turbarum tempore — circiter annum 1565 — Nobunaga, unus ex illis regulis, virtute insignis imperatoria, ita potestatem terrae universae occupavit, ut Micadoni non eriperet dignitatis speciem. Sed sub Nobunaga qui amico in Missionarios erat animo, religio feliciter disseminata est. Quum is proditione esset interemptus, rerum potitus est Hideyoshi, eius imperator, homo egregiis ornatus facultatibus, sed idem avidior gloriae, minime sollicitus, quibus eam compararet artibus. Ex anno 1592 Taiconem se vocari voluit, qua voce suprema eius potestas confirmata est. Mecado omnem auctoritatem amiserat.

Et principio quidem Hideyoshi nec Missionarios lacessivit neque Christianos. Sed tamen nascens Ecclesia iam aspera movebat odia. Buddhistarum sacerdotes, (bonzi), qui regnante Nobunaga nihil contra Christianos effecerant, apud Hideyoshi criminari et calumniari non destiterunt. Qui quum et ipse minus, quam vellent, praeberet aures, adoriri coeperunt per matrem eius, superstitionissimam foeminam et mire Buddhae deditam. Postremo assiduis instigationibus effectum est, ut anno 1587 Hideyoshi Missionarios ablegandos et Christianorum oratoria diruenda decerneret. Sed nondum res venerat ad sanguinem. Conivente Hidoyoshi Missionarii in Iaponia manentes quotannis auxerunt

Christianorum numerum. Sed quod invi-
dia non sunt assequuti illi bonzi, hoc unus
praefectus navis — quis non dolet? — te-
meritate et imprudentia efficit.

Anno 1596, mense Iulio, mercatoria Hispanorum navis ad Iaponiae litora delata est. Iapones, id quod facere solebant om-
nibus, mercem occupabant imperatori suo. Tum navarchus Hispanus res servari ra-
tus, si Iaponibus rei Hispanicae admiratio-
nem inieciisset, explicata carta mundi
ostendebat, quantum orbis Hispanorum
esset et in Africa et in Asia et in Amer-
ica: illud inoccidui solis imperium. Et
quum Iapones mirati interrogassent, quibus
tandem rationibus tantum imperium con-
fectum esset, ille: «Religione — inquit — et
armis. Sacerdotes nostri convertendis ad
Christi religionem populis sternunt viam,
conversos nullo negotio expugnamus». Quae vox quum extemplo delata esset ad
Taiconem, homo iam prius suspiciosus
rem credidit, neque iam integerrima Mis-
sionariorum vita aut spectatis eorum mo-
ribus retineri potuit, ne rei Christianae
vim adhiberet.

A. AVENARIUS.

Certamen poëticum Locrense

Anni MCMXXX

Accepimus, et libenter edimus:

Exitus certaminis huius anni, qui su-
prioribus Idibus Iuniis fuerat pronuntian-
dus, uno ex Iudicibus, **Carolo Landi**, heu!
subita morte intercepto, in Idus Octobres
dilatus est; qui dies simul solemní quadam
Vergilianae celebrationis nota insignis
habebitur.

**IN HONOREM PAULAE FRASSINETTI
BEATORUM ORDINIBUS NUPER ADSCRIPTAE**

*Plaudant angelici chori
Paulae laudibus inlitis;
orbis laetitia fremens
nunc altaribus omnibus
Matrem consacret aliam.*


*Tu, quae corpore es integro
post mortem, dederunt pie
cui nuper manui oscula
multae de grege condito
per Te, iure Beata.*

*Sacris virginibus ades,
virtute ut Tibi maxima
ardorem pietatis o
infundant monitis Tuis
dulcem in corda puellis.*

*E Caelo benedic scholis
curat quas suboles Tua,
matres ut solide piae
exstant patriae decus
tutum semper ubique.*

*Voto Pontificis fave,
terrī vivida splendeat
Christi latius in dies
fax, quae lumine candido
orbem pace serenet.*

NAZARENUS CAPO.



DE AUXILIO NAUFRAGIS FERENDO

Si anni tempus est, in quo opportunum
hoc argumentum occurrat, aestivum hoc
profecto invenitur, in quo omnes in mari
et in fluminibus refrigerium aliquod tor-
ridis caloribus maxime queruntur.

Sed inter opportuna ad rem pracepta,
ea plane credimus scitu dignissima, quae

afferendam nondum submersis salutem
respiciunt, ut ii tute ad ripam trahantur,
utque ab eorum complexibus sospitator
liber evadat. Quisque enim novit natandi
imperitum, brachia iactando sponte conari
ut corripientes fluctus repellat; sed vix
quum, defatigatis lacertis, motus huiusmodi
cesserint, horrenda vice demergi corpus,
vel emergere, prout desperationis vires
sufficient, atque tandem sensibus destitu-
tum, aquam pleno ore haurire, eiusque
pondere omnino opprimi. Nec tamen cum
vulgo credendum, antequam fluctibus
absorbeatur corpus, ter moritum innare;
quod si aliquando eveniat, fortuito id acci-
disse dicendum est.

Multi sunt, qui rem penitus spenderint,
quique quum maximum discriminem secum
reputaverint iam iam submersum appro-
pinquare, nonnisi a tergo id fieri tuto
suadeant, quod profecto optime servandum
est, quum tamen rei adjuncta, aut loci
natura, aut temporis momenta sinant;
aliter omnino esse adverso ad sospitandum
virum pergere opus est; itaque dandae
regulae quomodo a gravissimo discrimine
feliciter evadamus. Nam quum quampiam
delapsum in undas videamus, quantum
fieri possit placidum, eum mento alterutris
manibus corripere prudens erit, atque
supino natatu deducere. Quum contra
inquietum et iactantem sese viderimus,
amplecti eum sub axillis, vel circa pectus
iuvabit, ut eius incompositi motus cohi-
beantur.

Quum vero advenienti auxiliatori oboe-
dientem sese naufragus praebuerit, tunc
eius collum lacertis praecingemus, ut nos
libere innatare possimus.


At saepe evenit, naufragum morti
proximum sospitantis brachia vel pedes
certatim carpere, ita ut eius motus
impediens, eum quoque letalem in gur-
gitem secum abripiat. Tunc maximis viri-
bus auxilianti cavendum, ut imprudentem
repellat, sive violento impulsu eius com-

plexum dissolvens, etsi robustum atque
tenacem, sive, quum circa collum sese
correptum sentiat, manibus ad amplexan-
tis nares appositis, ita plane, ut eius
anhelitum praepediens, illum recedere
cogat.

Quod si postremo circa corpus sese
constrictum videat, genuum etiam ictu in
aggrecentem dato, liber evadet, eumque
solitis motibus ad litus deducere poterit.

Haec omnia universis gentibus vulgata
haberi vehementer velimus, apisque exer-
citationibus re peracta servari, ut demer-
gentium periculis latius caveatur.

R. S.



SILVAE

Redit ad vos, o Socii et Lectores hu-
manissimi, ANONYMUS ille, in deliciis quon-
dam Iosforis nostri, qui singulis mensibus
vacui temporis horam vobis praebebat.
Diuturni silentii causas supervacaneum est
repetere: satis vobis sit accipere me bi-
bliothecae musculi munus resumpsisse et
quae inde erossem vobis relaturum.

Atque in primis, omnibus compertum
est, die xxix superioris mensis Iunii
Pium XI P. M. sanctorum honores decre-
visse Roberto illustri illi Cardinali Bellar-
mino; vultis eius imaginem sub oculis ha-
bere? In promptu est, eaque a sodali sui
temporis latinis litteris mandata: « Statura
fuit — ita Silvester a Petrasancta — quae
ad mediocrem accederet: frontem habuit
latam, oculos vivaces et iucundos, nasum
leniter incurvum, praegrandes aures, et
os decens; capillos in capite densos, alben-
tesque in senio, in priore aetate nigros;
barbam aliquantulo rariorem; carnem ru-
bicundam et caudicantem; humorum tem-
periem, aut cum excessu nullo, aut declin-
nantem nonnihil ad iram, naturamque

praefervidam. Valetudine ad haec usus
est non improspera et cerebri vi temperata,
idoneaque laboribus assiduis studiorum
negotiorumque perferendis. Ceteris vero
membris aequalis et congruens, sic vulta
et incessu toto ferebatur, ut non aliud fere
potuisset modestia ipsa magis aptum sui
delineare simulacrum».

Hoc honore tributo christianaee eccl-
esiae summo illi adsortori et vindici, alio
nos convertamus.

Vocat aestivum hoc tempus ad mare;
redundat ora pueris, omni ludorum genere
sese excentibus, quorum non infrequens
lapillorum projectorum in aquas. Hanc
Minucius Felix in *Octavio* ita descripsit
« Pueros videmus certatim gestientes te-
starum in mare iactationibus ludere. Is
lusus est testam teretem iactatione flu-
ctuum levigatam legere de littore: eam
testam planu situ digitis comprehensam,
inclinem ipsum atque humilem quantum
potest super undas irrotare, ut illud iacu-
lum vel dorsum paris raderet, vel enataret,
dum leni impetu labitur, vel summis flu-
ctibus tonsis emicare, emerget, dum as-
siduo saltu sublevatur. Is se in pueris vi-
ctorem ferebat, cuius testa et procurreret
longius et frequentius resiliret».

Nonne vobis placet spectaculum equo
incitato currentium? Adsitis cum Ioanne
Baptista Ferrario: « Post carceres suum
quisque equiso bene curatum et panis non-
nulla offa vino insuccata affatim refectum
in equum imponit aut sessorem cum fla-
gello puerum, aut ligneas pilas indito
plumbo praegraves, ferreis undique stimu-
lis aculeatas et funiculis utrinque depen-
dulas, qui crassiori telae, pice dorso ag-
glutinatae insuti sunt, ut crebro incident
verbere currentem. Sic leviter instructi et
frontem charactere de more stellati, nec
non loca ordine sortiti, post funis repagu-
lum equi sistuntur. Quamquam illi sa-
gina et indole alacres stare loco nesciunt,
et crebris hinnitibus, omnibusque unguis

moram increpantes in cursum praegerunt. Denique is qui laxando repagulo praesidet, auditio vix tubae signo, levato manubrio uncum deprimit, unde funis exclusus, praegravanti oppositi saxi pondere, momento cadit. Tum equina cohors volucri fuga ex oculis evanescit, et non unus alato tergo, sed plures implumbibus volatiles pedibus Pegasi sic properant, ut illis idem sit carcer et meta; idem pergere et pervenire, ac p[re]ae ipsis claudicet, quamvis pernicissima, tamen e longinquu oculorum acies et animorum. Crederes ventos et fulmina catadromum decurrere. Parum dixi; grandiloquo Statii carmine citius velocitatem assequar:

*Quae tandem carbasa ponto?
Quae bello sic tela volant? quae nubila caelo?
Annibus hibernis minor est, minor impetus igni;
Tardius e summo decurrent flumina monte;
Tardius astra cadunt; glomerantur tardius imbre.*

Itaque ipsa velocitatis voluptas ingrata est, quia momento transit. Victor equus, quamquam inter acclamantium hominum, interque adstrepentium tubarum plausus palmam refert auri textilis, argentea tela subsuta pretiose bicoloris, suae tamen gloriae ignarus et ruditus equino vilis paleae ac neglectae frugis epulo donatur».

Haec legens atque transcribens ad pueritiae annos redibam, quum istiusmodi cursus Bacchanalium diebus per viam, cui fortasse inde *Cursus* nomen, romani cives adstabamus, equos, qui *barberi* vulgo audiabant, gestu, voce, strepitu incitantes, eosque quasi fulgur transgressos, usque ad metu insequentes. Neque tunc temporis locus amplius iam erat alii spectaculo, quod parentes nobis narrabant, equorum cursui praecedenti, scilicet dimacharum equitum, quadrato agmine incidentium.

Neque vero nos, neque ipsi patres alium cursum viderunt, antiquiori aetate Romae haberi solitum, de quo memoriam apud ipsum Ferrarium inveni, neque facere potui quin et ipsum, sine desiderio pro-

fecto, referrem: cursus erat Iudeorum pedestris.

Audite:

« Tunc vero excitatissimis vulgi clamoribus ad praemium animari Iudaicam e carceribus fugam et fugaces propelli cursores populi continenter exsibilantis aura. Tunc alii petulant e plebecula dictieriis fidicare: putribus alii coniectis malis medicis lassitudini male mederi; alii palliis incussis incommode sudorem detergere; nonnulli etiam incitatis cruribus virgarum stimulos adiungere, aut cum vestigio volucrum spem victoriae improvisa supplantatione deiicere. At, contra, Iudeorum natio diverso multiplicique de loco stadiodromis suis voce, nutu gestuque subinde suspetiari, et animos viresque pro virili adiicere: — Age — inquiunt — perge, praecurre; parum abest quin...; praevere, praevola; primos palmae fructus pedibus praecerpe. O factum male! cespitanus prolapsus est! Surge, festina, non indecoro luti tectorio cerussatus, totusque vel sine pileo latus, nudos potes superare. — Haec aliaque permulta suis addunt. Inde cursoribus calcaria. Sed quamvis omnes hebraicis hortatibus exstimentur, bini tamen ternive dumtaxat optatam perseverant ad metam, ceteris sine ludibrio delassatis. Denique victor plaudentium vociferatione spectatorum excipitur, interque raucum tubarum gaudium praemio donatus per triumphum revertitur in olidum acclamantium recutitorum theatrum».

Claudamus hodie rivos carmine incerti auctoris, quo ludus apud nos, Natalitiis praesertim diebus, usitatissimus, quique plurimis sui similibus originem dedit. *Ludus anseris* appellatur; vulgo: *Il giuoco dell'oca*.

Est tenuis grandis tela sociata papyrus,
Quae teretes praelo impressos sic explicat
[orbēs,
Arctior ut semper gyro breviore coarctet;

Et mihi si liceat patriis modo vocibus uti,
Ocha est, Romanae nimium res cognita pubi.

Arida sex denis, variis animata figuris
Pagina signatur punctis, tres si insuper ad-

[das.
Sed tantum pactos ob victa pericula nummos
Solvens, et punctis retro tribus inde recedens

Praecavet infesta rursum ne sorte prematur.
Pone niger sequitur foedo paedore refertus

Carcer ab aëria seductus luce: soluto
Hinc nulli penso fas est exire, priusquam

Captivum numero socius detrudat eodem
Carcere ab angusto; nam hominem vix exci-

[ictu,
[pit unum.
Non longe telo distat munita recurvo
Pallida mors, ingens lusorum terror et horror.

Nam dum se extremos absolvere posse labo-

[res
Quis putat, immani falcis si concidat ictu,
Quos multo fauste conficit tempora punctos

Amittit, ludique exordia prima rexit.
Proh! quoties metae proprior dum credis

[amatas
Te subisse fore, punctus tum defuit unus!
Tum iactum renovans, rursusque superfuit

[unus,
Saepius hinc etiam te sors inimica remotas
Distrahet in partes; nono nam quolibet orbe

Ponderis impatiens argutus graciat anser,
Qui nullum proprio patitur requiescere dorso;

Sed numerum quoties clamoso terminat ore
Sortiri toties repetit primordia puncti

Collusor vacua donec consistat in aede.

X.

[dos
Adiacet huic puteus, lato qui gurgite fauces
Pandens, cuncta vorax tenebroso sorbet hiatu.

In quem praecipi lapsu si forte viator
Incidat, ad superas nunquam revocabitur

[auras,

Perculus ni clade pari comes extrahat alter.
Quem prope Daedaleis labyrinthus flexibus

[antra

Pandit et inumeros texens ambagibus orbes.
Mille plicat replicatque vias, aditusque recur-

[vos

Circinat, implexis fallens erroribus artem.
Haec ludens qui tecta subit, non horrida

[priscae

Fata timet sortis, nullus nam funera miscens
Minotaurus inest; dirae procul exulat omnis

[cruori.

COLLOQUIA LATINA

**Discipulus agit magistro gratias, finito
annuo litterarum cursu.¹**

DISCIPULUS. — Magister optime, tantum tibi iam debo quantum mihi aliquando persolvere difficile est.

MAGISTER. — Quorsum haec tam verecunda salutatio? Quo tendis, carissime?

¹ Ex dialogis familiaribus A. VAN TORRE; passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

Disc. - Venio acturus tibi gratias de labore et opera toto anno mea causa susceptis.

MAG. - Aequum facis. Sic levis redditur labor, qui pueris gratis impenditur, et tui similibus.

Disc. - Utinam usquequa morem gessissest tibi! Quoties officio defuerim, equidem mihi sum conscius.

MAG. - Non habeo quod de te merito conquerar, adolescens.

Disc. - De hac ipsa benignitate tua est quod agem gratias.

MAG. - Imo iam retulisti, quum agnoscis beneficium.

Disc. - Non ego agnoscam? Tuorum erga me meritorum magnitudinem nulla dies ex animo delebit.

MAG. - Te liberaliter institutum demonstras adolescentulum: prae multis, qui, ad finem anni, insalutato praecopere abeunt et de referenda gratia minimum laborant.

Disc. - Referre gratiam magistro solertissimo per annos nondum mihi conceditur; olim, quum aetas matura adoleverit, enitar, ut non per speciem modo, sed re ipsa ab ingrati animi vitio longissime absim.

MAG. - Mei in precibus memoriam a te exigo, carissime; praeterea nihil.

Disc. - Nullo me die tui capiet oblivio. Rogo te, quam possum suppliciter, ut condones mihi petulantiam, tarditatem, ineptias, quibus crebro molestiam exhibui.

MAG. - Dignus es qui venia doneris; recipio te in gratiam.

Disc. - Si anno proxime sequenti tui mihi rursum magister obtigeris, sane complebor gaudio.

MAG. - Quid sit futurum eras, fuge quaerere; age potius quod nunc instat.

Disc. - Quid illud?

MAG. - Fruere vacationis tempore, quam diuturnum est: ingenii aciem tantisper cessando exacues.

Disc. - Non detinebo humanitatem tuam pluribus. Superest ut quam maximas iterum iterumque agam gratias.

MAG. - Placet urbanitas tua. Nonne cogitas propediem visere patriam?

Disc. - Cras, opinor, aut ad summum perendie.

MAG. - Parentibus tuis salutem meis verbis dico.

Disc. - Id lubens fecero. Num quid aliud mandas mihi?

MAG. - Nihil his amplius: profiscere bonis avibus.

Disc. - Tu autem cura, ut quam optime valeas.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 284. - Icterus febribus superveniens semper timendus, raro enim sunt sine malignitate. Si sint signa coctionis, et appareat circa septimum, bonus est; est enim criticus; si signa cruditatis, et si circa quartum malus est, et symptomaticus, et si febris non remittat, lethalis, vel gravium morborum nuncius.

§ 285. - Hystericis, calculosis, et in fine intermittentium facile superveniunt icteri.

§ 286. - Icterus semel curatus, denuo aut pluries recidivans, a calculo vesicae felleae est.

§ 287. - In curandis febribus universalibus, id est, quae ipso de sanguine suscitantur, non admodum laborandum est circa partem affectam, ut inde curativae deducantur indicationes. Febrium siquidem primordia partesque affectas in iisdem

¹ Cfr. fasc. sup.

nos plerumque latent; et si unquam patent, oportet indicationes dirigere ad constitutionem massae sanguineae febricitantis potius, quam ad sophisticam speculationem causarum proximarum. Ideo si primae viae sint obductae, eaeque egerendae atque expurgandae fuerint, danda opera, ut febrium fomes tollatur. Si vero sanguis febricitans sit exaltatus et vehemens, eius reprimendus est impetus. Si nimis crassis humoribus irretitus, atque coagulatus, exaltetur ac dissolvatur. In his enim tribus praecipitis omnium prope illarum febrium cura versatur, quae ortum non ducent ab organi laesione, verum ab humorum congluvie, aut in ipso sanguine, aut in primis viis; et cum ad crisim natura vergit, aut eam iam excitaverit, tum a remediorum copia, tamquam a peste cavendum. Ex odore, quem aegri spirant, soleo saepe utrum morbus facilis aut difficilis, brevis vel diutinus, vel alterius generis futurus sit, iudicare. Ita BAGLIVUS.

§ 288. - In aegris qui morituri sunt, nonnullis ante mortem diebus, solet, dum pulsum tangimus, ab eorum exhalare corpore foetor quidam ac veluti cadavericus odor, qualem spirant cadavera; et saepe observavi, et velim, ut serio animadventant medici.

§ 289. - Vidi singultus frequenter excitatos a nimio stibii diaphoretici abusu.

§ 290. - De morbis pulmonum, etiam si peritus in arte sis, vel censearis, noli cum lactantia practice de illis disserere, vel facile promittere curationem. Acuti namque licet curabiles sint, derepente tamen aegrum iugulant, medico stupente ac ne cogitante. Chronici vero derepente quoque necant, curatique difficillimi sunt, et si curantur, non ab ignaris, sed ab acerrimo praeditis iudicio curentur.

§ 291. - HIPPOCRATES, in morborum curis, ut magis praecipit, quam balnea, fricationes, exercitationes, unctiones, ustiones, incisiones partium usque ad ossa. Ablutiones

capitis, purgationes per sternutatoria. Eiusdem lotiones, vellicationes, succussions, ac huiusmodi remedia in solidis humani corporis facta vim suam exercentia, quoniam iis praecipue adhibentur, non autem in fluidis, nisi solidorum ope. Per os etiam, si helleborum excipias, et frequentem seri usum, et lactis in morbis plurimis, pauca alia remedia adhibebat.

§ 292. - Quibus capite vulneratis, letargi avertendi caussa, vesicantia applicantur, ii confessim pereunt. Vesicantia nocent delirantibus viris magis quam foeminis. Potus tunc iuvant, balnea tepida et emollientia ventri, pedibus et palmis applicata, sectio salvarella, etc. Imminente vel actuali delirio hypochondria sunt intro pressa. Bulbus oculorum immobilis, et quasi saxeus, lingua balbutiens et plerumque tumescens, arida et sicca. Totum corpus veluti tensum et parum flexile. Praeterea semper praedit gravis capitis dolor, suppressis tunc etiam ordinariis excrementis. Dum aeger delirat, filtra omnia glandularum segregat, etc.

§ 293. - Morbi qui nerveis et membranosis in partibus fiunt, graves, periculosi et difficillimae curationis sunt, et fere semper capiti consentientes; et quod sane mirum atque notatu dignum, nulla tunc temporis in partibus sanguineis, in ipso sanguine et in corde cum apparente mutatione.

§ 294. - Pulsus serrinus et durus semper indicat vitium in partibus membranosis ac nerveis; subinde autem periculosus erit, si cum periculosis coniungatur accidentibus. In doloribus capitum vehementibus pulsus fiunt parvi et pene imperceptibles; idem fit in doloribus aliarum partium membranosalium. Quod tamen medicum terrere non debet, nam familiares sunt pulsus parvi in talibus doloribus.

In pluribus aegris pleuritide laborantibus observavi saepe pulsum manus positae a latere partis affectae semper esse parvum

et exiguum: in rigore febrium pulsus contracti quotidie observamus.

§ 295. - Paralyses universales vitio affectionis hystericae relatae a BORLE (*De utilit. philosoph. nat.*, f. 154).

§ 296. - Tympanites universales ob vulnus partium nervorum, ex VILLISIO (Tom. 2, fol. 145).

§ 297. - Novi vetulam septuagenariam diro astmati cum tussi continua laborantem. Haec quoties ambabus manibus fortiter comprimit verticem capitis, toties cessant statim pro tempore, quo durat compressio, et asthma et tussis catarrhosa; statim vero ac manus ausert, iidem morbi denuo redeunt (BAGLIVUS).

§ 298. - Membranarum morbos magna ex parte periodicos observavi: cephalagiae exacte periodicae frequentes sunt (BAGL.).

§ 299. - Observavi in iis, qui aneurismate interno laborant, ex ea parte, in qua est aneurisma, sive eam partem, cui arteria aneurismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum ac demum paralysi labbare. Adest et palpitatio cordis, vertigo, frequens syncope, spirandi difficultas, inaequalitas pulsus (BAGLIVUS).

§ 300. - Pleuritides siccae, asthmata sicca, hydropisis sicci, solidorum vitio magis, quam fluidorum oriuntur.

§ 301. - Qui nimium sanguinei sunt, et facie rubicundi, in convulsivos morbos aetatis progressu incident.

§ 302. - Ex abusu purgantium in hydropes sicco, crescit magis pedum ventrisque tumor. Laxandum est potius solidum nimium crispatum, deinde remedia danda sunt; ideo saepe hydropes sicci circa finem hydropes humidos post se trahunt.

§ 303. - Medicamenta purgantia, diuretica, et aperientia nimium acria, quae reserandis viscerum vasis praescribuntur, si morbus a solidis, non a fluidis coepert non reserant vias, sed magis interclusi-

dunt; resque desinit in cancros, scirrhos et lethales viscerum obstructiones.

§ 304. - Post pedum erysipelata nascuntur oedemata diurna et incommoda; quae vix cedunt remedii intus sumptis, sed tantummodo fomentationibus herbae alicuius vulnerariae et emollientis.

§ 305. - Maniacorum vis incredibilis a maxima fibrarum excitatione producitur (BAGLIVUS). His prosunt balnea tepida, potus emollientes, relaxantes: nocent per se vesicantia (STOLL.). Huiusmodi homines plerumque siccii sunt, nigris capillis praediti, cutis colore nigro, naturaliter impatiens, volubiles et ad operationes promptissimi.

§ 306. - Ubi catarrhi sunt, ibi statim suspicandum est lympham peccare: ea enim sola sedes catarrorum est. Membranae vocari possunt telae pituitariae, quae quando longo catarrorum cursu nimium laxantur, iidem curari non poterunt, nisi restituatur tonus laxatis fibris. Lignum *sassafras* remedium ad id praestantissimum est. Catarrhi ex lympha acri et tenui noctu potissimum affligunt; ex crassa indifferenter.

§ 307. - Iuveni nimis rerum salitarum et victus prorsus exsiccantis usu alvus taliter exsiccata fuit, ut difficillime solvereatur, adhibitis quibuscumque humidis cibis et oleribus. Quum *Baglivus* existimare coepisset ventris stipticitudinem non vitio fluidi sed fibrarum intestinalium fere convulsivarum et exsiccatarum ob ante dictam diaetam provenire, usu butyri recentis in formam boli cum saccharo praescripti, perque dies multos assumpti, nec non balneis aquae tepidae per totum ventrem, pristinam lubricitatem recuperavit. Plures huiusmodi alvi exsiccations observantur in praxi.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

ANNALES

Novus Rumenorum rex.

Necopinatus eventus, qui communibus commentationibus ubique praebuit argumentam, superiore mense fuit Caroli principis in Rumeniam redditus eiusque in regiam potestatem evectio, quae fere unanimi suffragio facta est tum a publico legatorum Coetu legibus ferendis, tum a Senatu, qui irritum actum declararunt, quo princeps ille regnum, abhinc annos quattuor, abdicavit. Per hanc regni cessionem Carolus e civitatis finibus migraverat, repudio Helenae uxori dicto, rexque creatus fuerat Michaël, puerulus eius filius, commissa eius tutela administratorum consilio, cui Nicolaus, Caroli frater natu minor, praeesset.

Caroli redditus, qui nomine secundus nuncupatus est, civium animos ita inflammat, ut et quae pars Carolo adversetur factum probaverit, et rex non dubitaverit rerum gubernationem iterum tradere Maniu, qui munus quo potiebatur sponte dimiserat.

Novus rex proxime coronabitur una cum uxore, divortii decreto rescisso.

* *

Indorum et Melitenses motus.

Publici iuris facta est relatio Anglici legati Simons, in Indiam missi ad inquirendum de seditionis motibus apud illos populos in Angliam conflatis. Quum eius conclusio fuerit, impossibile esse donare colluviem illam omnium gentium, cultu et humanitate diversarum, politica constitutione non longe ab ea dissimili, qua Anglici qui dicuntur, *Dominatus*, gaudent, nova Indorum exarsit ira, rebellio-nisque consilium est confirmatum.

Neque in insula Melita quieti civium animi sunt, ita ut necesse fuerit rei pu-

blicae instituta atque leges intermittere omnemque auctoritatem in unum virum conferre, qui Gubernatoris sub nomine aget.

Quum autem administratorum collegii hoc usque praeses, rerum status culpam et ipsi Apostolicae Sedi adhibuerit, haec « album volumen », ut vulgo dicitant, edidit, quo calumnias retorqueret.

* *

Nova pacis foedera.

Italorum Senatus ratum habuit amicitiae foedus Itali populi cum Austriaco; optimum et laudabile exemplum offerentis, sublationis cuiusvis invidiae inter victores et vicos.

* *

Ex aedibus Vaticanis.

Cum mense Iunio expletum tempus est indicti a Summo Pontifice recentis Iulilaei; quod novum argumentum praebuit devotionis orbis universi erga Petri supremam cathedram. Inter sollemnes caeremonias per occasionem peractas, eae quoque fuere, quibus nonnulli Ecclesiae heroes et heroinae in beatorum et sanctorum ordines evecti sunt.

POPICOLA.

VARIA

Urbs ad nutum Abyssini regis mobilis.¹

Reperio Abyssinum Imperatorem, quum res imperii florarent, in castris et tentoriis habitare atque infinita hominum multitudine stipatum huc et illuc vagari solitum, quum imperatoria celsitudine et dignitate (sicut olim Arabes, Persae et Parthi) reputaret indignum, in urbibus com-

¹ EX NICOLAO GODIGNO.

morari. Ubi cumque tamen ponebat castra, urbs de repente ex holoserica varii generis et coloris materia, ut ferunt, consurgebat, qua nulla ex caemento et calce, ex latere ac ligno multos per annos strui posset elegantior. Erant suis quaeque locis apte disposita: nulla munerum perturbatio, nulla in operibus confusio. Nemo ignorabat ad quam caeli plagam haberet domicilium: ubi tempa surgerent, ad quae praecandi causa vellet accedere; qua ad illa esset eundum via. Latae inibi erant plateae, variis semitis ac tramitibus intersectae. Non deerant bivia, trivia et quadrivia, qui que ad alios usus vel actus in urbibus, vel angiportus solent inservire. Visebantur aedificia quaedam, alicuius straguli communione veluti muro, aut pariete coniuncta; alio proprio cineta circuitu insulisque discreta. Unum cauponae locum, alium xenodochia, diversum occupabant nosocomia. Ad pinsendam subigendamque farinam et conficiendos panes erant pistrina, et loca cetera ad idem ministerium necessaria. Ad superfluos barbae capitisque capillos resecandos, tonstrinae; ad efficienda ac reficienda calceamenta, sutrinae; multiplex tota urbe forum; multiplex macellum. Variae pergulae, quibus singula mercurum discriminabantur genera, venum exposita. Ut quaeque sors hominum officiis, ita locis distinguebatur. Habebat iumentus ubi ludere aut exercere sese posset; sive de equorum pernitate certando, hippodromos; sive imaginario praelio inter se concurrendo, catadromos; sive lucta vires experiundo, palaestras. Denique quidquid in magna ac bene constituta exiguitur urbe, id in ea reperiebatur; cuius tanta fuisse fertur magnitudo, ut a principali foro, quod urbe erat in media, ad ipsum Imperatoris augustale lata rectaque via quatuor paene millaria continerentur. Solebat in editiori loco Imperatoris figi tabernaculum, ut ex eo, qui ad maius illud forum populi concursus fieret, quove ibi

tumultu res agerentur, commode conspici possent. Aiunt urbis huius dimetientem lineam ad decem fere millaria, ambientem ad triginta solitam excurrere. Ut ea ab uno loco mutaretur in alium, quod frequenter fiebat, praeter infinitam baiulorum multititudinem, magnamque vim camelorum portandis oneribus comparatam, mulae erant ad id manus plus decem mille clitellis instructae; quae tamen omnia tantae machinae vertendae vix sufficiebant.

**

Boves et Ilex.

Trabem ligneam trahebant boves, ad illam adjuncti. Haec autem indignari et queri, atque boves accusare ut ingratis, quibus ita raptae sunt, quum frondibus suis saepe illos aliisset.

Cui boves: — Quum nos in hac opera stimulis incitari videas, et gemitus atque anhelitus audias, debet profecto in mentem tibi venire, nos invitatos trahere.

Fabula docet quemque iniuriae et damni sui autores non quoslibet temere accusare debere.

**

Pro iudicibus mensarum elegan-tibus.

ESCARUM ORDO:

Ius densum florale;
Soleae filula cum garo viridi;
Agni costulae intra pernae frusta
coctae, pisis circumiectis;
Coturnices arenosae veru actae;
Fraga syruo condita.

**

locosa.

Tuccius amico, quem videt brachio de collo per lintelum suspenso:

— Ecur ita te geris?
— Quia brachium luxatum mihi est.
— Bene tibi quia brachium: si enim caput fuisses, quomodo illud collo suspensisses?

Tuccius a mari redux, ubi aestivas ferias transivit, patrem interrogat:

— Ecur vultus manusque tam nigra mihi facta sunt?

— Quod pellis sole adusta fuit.

— Ecur, ex adverso, lintea soli expo-nuntur, quo candidiora fiant?

**

Aenigmata

(a socio TH. GARRIDO proposita).

I

Si primam, lector, repetis, repetisve secun-dam,

dux, alio quovis principe maior, adest. Tertia naturae vitam praestatque decorum et placido totum membra sopore levat.

II

Protinus invenies, excedens urbibus, *imam: iunge statim primae*, candide lector, eam, illius solito vocalibus ordine versis,

atque oculis aderunt nomina quinque tuis. Flumen in Hungarica *primum* regione; se-

[cundum] rem sine mixtura nominat; *hocque sequens* nos rapit; est *quartum* foliis et fructibus arbor utilis, et *quinctum* servat ab hoste domos.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cor-nix*, 2) *Ter-sus*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. ANDR... HAB..., *Aquis Driburgensis*bus. — Gratulor tibi ob novam scribendi acquisitam peritiam; de humanissimis autem verbis tibi gratias habeo et refero. Utinam mecum te haberem, cui... «grave pondus» committerem! Sed quisnam humanos eventus prae-noscere valuit?... Commentariolum, prout vi-dist, edidi; pergas igitur ulterius; maioris au-tem momenti alterum de antarctica expeditione

mihi videtur. Perficias igitur atque et hoc mittas. Nunc vale, etiam atque etiam vale.

Cl. v. ALEX... HERTZ..., *Berolini*. — Eheu! novum et inhumanum pugnandi genus iam diu nimis vidimus et experti sumus, ut nunc re-vocare debeamus! Ad alia argumenta, quae-eso, te convertas; quae libenter in *Alma Roma* edemus. Antiqua autem lex est, manucripta non vulgata minime ad mittentem remitti.

Cl. v. Ios... CAC..., *Neapoli*, et AL... AD..., *Parmae*. — Vobis morem geremus, quo prius licuerit.

Cl. v. VIN... POR..., *Vicentiae*. — Litterae tuae et fasciculi a me missi sibi occurrerunt in via. Spero iam hosce ad te pervenisse.

Cl. v. IAC... FRE..., *Monaci*. — Volumen, de quo notitias repetis, est: *Francisci Petrarcae Vergilianus codex* ad P. Vergili Maronis diem natalem bis millesimum celebrandum, quam simillime expressus atque in lucem editus hoc anno in aedibus Hoeplianis, iuvanibus Biblioteca Ambrosiana et Regia in In-subribus Academia studiis, doctrinae litterisque provehendis. Praefatus est Iohannes Galbiati eidem bibliothecae praefectus idemque academicus, ascita etiam Achillis Ratti (nunc Pio XI P. M.) de hoc codice com-mentatione. Liber est sumptu magnifico editus, quercu et corio pulcherrime compactus. Constat ex paginis circiter sescentis in folio, genus voluminum reddens, quae Petrarcae ipsius manu teri solebant. Venit ital. numm. 1500, adiecto ad servandum tegumento.

Cl. v. GEOR... TIS..., *Massiliae*. — In cistel-lum.

Cl. v. ROB... PAR..., *Mediolani*. — Quae de certamine poetico Hoeufftiano, sciremus, vidisti; etenim vulgavimus. De certamine Lo-rensi hodie in hisce paginis lege. Certamen Ruspantium cubat.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonae,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



AD SEPULCRUM

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

AN. Daremus istam vobis vim pecuniae,
Modo dicetis, vobis dormientibus,
Suos vidisse noctu vos discipulos,
Magistri corpus sustollentes mortui!

MIL. At, at...

AN. Quid vultis?

I MIL. Quis videt dormiens?

AN. Hoc nempe civibus, si quaerant dicite!
IV MIL. Probe dicemus, nobis dormientibus,

Eos vidisse nos apertis oculis?

II MIL. Quis haec narrantibus potest fidem
[dare?]

Si dormis...

AN. Sst! ¹

III MIL. Si vides cur non prohibes?

OMNES. Tacemus, aurum dummodo si vene-
[rit!]

I MIL. Erit pecuniae quae nempe copia?

AN. ² Quae magna civium mane frequentia!
CIV. I Quot rerum series, magnus qui cumu-

[lus!]

CIV. II (Et patrem vidi luxeram quem mortuum!

Querentem multa Solymis quae vene-

[rant!]

AN. ³ Vos hinc exite.

MIL. Te sequemur protinus.⁴

SCENA VIII.

Ad parent PROPHETAE secum colloquentes.

MOSES. Quod ipse scripsi splendidis lumi-

[nibus,

Measque dextera res facturum sua,

Fecit Is vivens, superavit equidem,

Feci quod olim barbaris Aegyptiis.

Meis at fuit passus primum fratribus,

¹ Digitum oret ponit.

² Clives taciturni apparent, adspiciunt, retrogradiuntur.

³ Ad milites.

⁴ Exeunt omnes.

Eram prophetae quam figura pallida!
Quae mors! Quae probra! Sed mox
[quae gloria!]

IEREM. Meis quem cecini vatem carminibus
Venit, sed noster non accepit populus,
Imo percussit, pastus est opprobriis.
Potest quis sicco contemplare lumine
Quae probra fecit civitas Ierusalem?
Priora nuper sua excessit crimina!
Dei nam Filium nunc occidit pessime.
Oh! Fratrum Joseph superant invidiam,
Et Absalonis Davidis versutiam...
Meis quis undam lacrimarum dederit,
Oculis ut lugeam delictum merito?¹

ISAIAS. Nos, nos eramus homines sed dum-
[modo!]

At Ipse? Tanta facit quis prodigia?
Dedit praecepta plena sapientiae...
Sion sed adversis usa consiliis,
Eum maligno persecuta spiritu,
Ad mortem traxit, mortem turpissimam.
Heu! quam Te cerno miseriis obrutum,
Olim quae clarior fulgebas dotibus!
Nunc populorum diceris ludibrium.²

DAVID. Sed cur lugemus urbem nos perpetuo,
Divino nuper et conspersam sanguine?
Ei precemur veniam concorditer!
Hic omnes cumulat misericordia,
Eiusque dixerit quis unquam terminum?
Sion, quae diceris Dei semper civitas,
Meique cordis imum desiderium,
Oculos eleva laetos in circuitu;
Hic nempe Filius percussus lanceis,
Quem Tu negasti, satiasti opprobriis,
Bibit dolorem de corrente largius,
Caput levabit radiis circumdatum,
Et orbem gloria reget in perpetuum!

(Ad proximum numerum).

¹ Suspirans. ² Tacet moestissimus.